

1741.

DE  
**OMOΘYMI A**  
**FIDELI V M**

DISSERTATIO THEOLOGICA,

Quam

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

**DN. FRIDERICO WILHELMO,**  
PRINCIPE BORVSSIAE, MARCHIONE BRAN-  
DENBVRGICO, CETERA,

PRAESIDE

**PAVLO ANTONIO,**  
S. S. TH. D. P. P. CONSISTORII DVC. MAGDEB. CON-  
SIL. ET DIOEC. PR. SAL. INSPECTORE,

PATRONO ET PRAECEPTORE SVO AETERNVM  
VENERANDO,

ad d. XVI. Iul. M DCC XII.  
placido Θεολογίαν examini  
submittit

H. Henckel.  
1718.

AVCTOR RESPONDENS

**ANDREAS DIETERICVS,**  
Bolgatzino Transiluanus Saxo.

---

HALAE MAGDEBVRGICAE,  
LITTERIS CHRISTIANI HENCKELII, ACAD. TYPOGR.

Ei

ILLVSTRISSIMO DOMINO  
DOMINO  
**ANDREAE TEVTSCH**  
TOTIVS NATIONIS SAXONICAE IN  
TRANSILVANIA COMITI CONFIRMATO  
S. CAESAREAE MAIESTATI A CONSILIIS INTIMIS  
METROPOLEOS CIBINIENSIS REGIO IUDICI  
EMINENTISSIMO

NEC NON  
**VIRO**  
GENEROSISSIMO ATQVE CONSVLTISSIMO  
DOMINO  
**JOANNI HOSMANNO**  
**DE ROTHENFELS**  
METROPOLEOS CIBINIENSIS CONSULI  
SPECTATISSIMO

*DOMINIS AC PATRONIS SVIS GRATIOSISSIMIS.*



co quo decet submissi animi cultu  
hanc dissertationem theologicam  
offert & dedicat

*AVCTOR RESPONDENS.*

3

# ILLVSTRISSIMI AC GENEROSISSIMI DOMINI



Estra erga me bene-  
uolentia summa, Ve-  
straque, quibus affe-  
ctus sum, beneficia in  
caussa fuere, quare  
hancce qualemcunque dissertatio-  
nem theologicam, tanquam memo-  
ris animi documentum ILLVSTRISS.

A 2

&

ET GENEROSISS. NOMINIBVS VESTRIS  
inscripserim. Hoc, etsi leuius &  
persona Vestra non satis dignum  
sit, munusculum, vt serena tamen  
fronte pro more vestro adspicere, &  
me eo, quo antea dignati estis, fa-  
uore in posterum complecti veli-  
tis, est quod submissæ rogem. Deus  
VOS, cum splendidissima familia  
Vestra omni benedictionis genere,  
sub augustissimo sceptro Augustissimi  
Cæsaris Caroli VI. cumulet, &  
plurimos adhuc annos rebus hu-  
manis interessæ sinat; quo gloriæ  
nominis eius & Ecclesiæ ac Reipu-  
blicæ salutem tueri, & magis ma-  
gisque promouere possitis. Id vt  
VOBIS tribuat, toto animo votis-  
que ardentissimis precari non desi-  
stam. Halæ Saxonum d. XI. Iulii  
ccccxii.



§. I.

**M**iseram ac deplorandam or-  
bis Christiani hisce temporibus es-  
se faciem, non ii solum, quorum  
mens diuino spiritus lumine est  
collustrata, quiqe in Ecclesiæ in-  
teriora mala plurimos latentia pe-  
netrare, eaque paullulum penitus  
intueri ac perscrutari possunt; ve-  
rum etiam saniore tantum ratione præditi vno ore omnes  
confitebuntur. Inprimis si temporum Ecclesiæ nascentis  
Apostolicæ, nostrorumque accuratam quis instituere vel-  
lit comparationem: deprehendet sane haud exiguum eo-  
rundem discrepantiam; adeo quidem, vt hodierno die  
plurimos Christiano nomine appellatos, ex efficaci illo  
doctrinæ euangelii usu nihil, nisi inanes ideas, ex viuifco  
illo atque per spiritum Christi animato corpore nihil, nisi  
nuda ossa ac sceletum (*πνευμα μη ἔχοντες*, Iud. v 19. 3. 4.)  
retinuisse ac circumferre videoas; denique sinceræ illius,  
quæ apud veteres Christianos erat, animorum coniuncti-  
onis & unitatis spiritus vix umbram adhuc superesse anim-  
aduertas. Qua de re B. noster Lütherus in glossa marg. ver-  
siculi 10. Cap. i. Epistolæ ad Ephes. hæc profert: Es ist über  
die Massen jämmerlich zu sehen / daß das ganze menschliche Ge-  
schlecht also zerissen ist / auch dieser Theil / welcher Gottes Volk  
genennet wird. Und ist vor Augen / leider! daß sehr wenig an  
einan-

einander hanget; sondern es ist der größte Theil mancherley zerstreuet in mancherley Secten und Opinionen. &c. Vid. etiam Dni Prof. Francke Programma Pentecostale anno 1710. exaratum, in quo, instituto parallelismo, disconuenientiam horum cum temporibus nascentis Ecclesiæ perspicue exhibuit.

## §. II.

Quod si vero quidam adhuc inueniantur, qui hæc non in dubium tantum vocare, sed contra adfirmare haud erubescant, statum Ecclesiæ recentiorem, omniumque in ea ordinum, esse optimum, florentissimum: de iis citra conscientiæ læsionem statuendum, quod, quia se ipsos internaque animæ suæ conditionem haud agnoscunt, nec agnoscere exoptant, de statu quoque Ecclesiæ, tam externo, quam interno, iudicium sanum sincerumque ferre minime queant.

## §. III.

Sicuti iam in exsequendis Christianismi officiis, omnibusque diuinarum virtutum generibus haud exiguis reperitur fidei defectus: ita præ cæteris de artissima illa animorum fidelium coniunctione spirituali, ut nimirum in Christo vnum & idem omnes sentiant, quam plurimos, alias etiam animo haud malo affectos, parum, & non, ut debebant, esse sollicitos, quis non videt? dum contenti sunt, modo adsit externa ac civilis quædam consensio, (quæ sane necessaria, & in pretio suo relinquenda est) qualisunque demum, & quo comparata modo interna illa spirituque sancto suffulta vnanimitas fuerit.

## §. IV.

Ad hanc ergo dissertationem hancce theologicam dirigere. eamque pluribus pertractare, operæ pretium esse duximus. Ante vero quam ad opus ipsum nos accingamus paucis benevolus lector amice præmonendus erit, nos in hacce dissertatione nequaquam de concordia quadam ecclesiasti-

ca in genere, eoque sensu, quo modo vna Ecclesia cum alia vniri queat, acturos esse: id quod altioris indaginis est, nosque aliis ex verbo Dei discutiendum relinquimus. Sed nobis sermo est de *vnanimitate fidelium spirituali*, eorum qui in Ecclesia illa viuunt, quæ est *societas fidei & spiritus sancti in cordibus*, quæ *externas quoque habet notas*, ut agnosciri possit, videlicet *puram euangelii doctrinam, & administrationem sacramentorum consentaneam euangelio Christi*. vid. Apol. A. C. Pag. 144 & 145. Hoc in genere a nobis dictum esto: nunc specialius rem perlequemur.

## §. V.

Quam nos hic vnanimitatem intelligamus, cum ex frontispicio dissertationis ipso, tum ex antecedentibus re-censitis, lecturos prægustum quandam hausisse confidimus. Ast quo clarius distinctiusue quid proponitur, eo magis delectat, ampliorisque usus est: ideoque diuersam ὄμοθυ-*μίας* significationem primum tradendam esse existimauimus. Vocabulum isthoc ὄμοθυμία Græcæ esse originis, eoque denotari *vnanimitatem*, *vnum ac eundem animum*, *vnam ac eandem habere voluntatem*, *cum pluribus vnum ac idem sentire*, illico quilibet agnoscat. Coincidit cum hoc σύμψυχος, qui eiusdem animi & sententiae est, vnde συ-*ψυχία*, *vnanimitas*, *animorum concordia*: item ισόψυχος, pari animo prædictus. Cum his conuenit hebraicum לְאַחֲרֵ פָּה, qui *vnius oris atque animi est*. His, quid ὄμο-*θυμία* per se considerata significet, exprimere voluiimus.

## §. VI.

Isthanc vero, quam nominauimus, ὄμοθυμία non *vnius eiusdemque esse generis*, paucis considerabimus. Et primo quidem loco ea in *naturalem & supernaturalem* communode dispesci potest: illam communem esse omnibus hominibus; hanc non nisi vere in Christum credentibus, nemini sacrarum litterarum perito ignotum erit. Ingens sane DEI T. O. M. beneficium est, quod diuinæ illius ὄμο-*θυμίας*

θυμίας rudera adhuc quædam extare, eaque non penitus  
extingui fuerit. Per rudera nihil aliud h. l. intelligi vo-  
lumus, quam quæ in scriptoribus appellari & declarari fo-  
lent, scilicet omnium hominum conscientiis inscripta  
principia generalia; vtpote ex quibus omnis ὄμοθυμία, con-  
cordia & consensus originem suam trahit, quæcunque de-  
mum illa fuerit, ac quo usque se extendat. Sic dari con-  
sensum quandam animorum apud omnes mortales, com-  
pertum habemus: quod nimur statuant, esse aliquod  
numen supremum, infinite perfectum, optimum, idque  
adorandum; malum fugiendum, bonum prosequendum;  
proximum amore complectendum, & in omnibus necessi-  
tudinibus ei succurrentum, neminem iniuria adficiendum.  
&c. In his & similibus erga diuinum numen & proximum  
officiis, natura notis, consentiunt eatenus omnes. Pari-  
ratione ὄμοθυμίαν naturalem existere videmus, regem in-  
ter & ministros, magistratum & subditos, maritum & vxo-  
rem, parentes & liberos, deminum & seruum. Quæ vni-  
tas horum relatorum naturalis, et si defectu insigni laboret,  
omnis tamen abesse nequit; alioquin nulla res publica, nul-  
la societas humana firmo persistere pede posset, verum o-  
mnia in pessum irent, & in confusionem omnium rerum  
summam laberentur. Quanta igitur in genus humanum  
ex hac animorum coniunctione naturali deriuentur adhuc  
commoda vel solatia, facile intelliget is, qui vel mediocri a-  
ctionum humatarum notitia mentem imbuuerit. Vnde nec  
immerito Cicero Orat. XXX. de Haruspicum responsis:  
*Hunc, inquit, omnium ordinum statum, qui nunc est, qua-*  
*liscunque est, nulla alia re, nisi concordia retinere possumus.*  
*Et Liuius Lib. XXIV. c. 22. Periculum, ait, ingens manet,*  
*nisi paci & concordiae consulitis.* Vid. etiam D. Buddei E-  
lem. Phil. Pract. p. 156. §. 86.

## §. VII.

Missa hac ὄμοθυμίᾳ naturali bona, progredimur ad  
con-

considerationem ὁμοθυνίας spiritualis quidem, sed pessimæ, omnibus noxiis, periculis damnisque propemodum infinitis refertæ; ortum quippe trahentis a spiritu maligno ac subdolo Satana, qui *κατ' ξένον* homicida & mendax, in sacris literis nominatur. Hæc regna & respublicas labefactat, immo funditus euertit, societas humanas disrumpit, confundit, perturbat; pacis & tranquillitatis externæ est turbatrix, vastatrix; ecclesiæ Christi, omniumque in ea ordinum bonorum hostis crudelissima, acerrima, omnis discordiæ fons & origo. Nam qui ita inuicem vniuntur, vt ducem ac rectorem, immo fundamentum, cui innitantur, habeant spiritum malum, qui potest aliter fieri, quam vt in discordiam, litigationem, pugnas & contentionem labantur? Cuius rei testimonia & exempla cum historia ecclesiastica & profana, tum etiam ipsæ sacræ litteræ nobis suppeditant euidentissima. Num. XVI. i. seqq. legimus de Kora, Datan & Abiram, cœtuque eorum, eos se aduersus Iehouam eiusque fideles ministros Mosen & Aharonem congregauisse, hac quidem mente, vt eadem cum Mose & Aharone fruerentur dignitate, & eodem honore. Atque hos omnes vnius animi ac sententiæ fuisse, nemo negabit. Et nisi mature Deus consiliis ipsorum perniciosissimis obstitisset; quæ ecclesiæ Israelitarum mala intulissent? Sic 1 Reg. XXII. 6. rex Israelitarum Ahabus quadringentos congregauit prophetas, eosque consuluit, vtrum contra Ramotis Gileadis in bellum profici debat, nec ne: qui dicebant **רָא נִפְתַּח** vnanimes: (vid. vers 13.) *Ascende, traditurus enim est Dominus in manus regis.* Verum enim vero qualem horum omnium consilium ὁμοθυνος successum habuerit, experiri quam miserrime nolens volens Ahabus debuit. Hinc illud didicisse sufficiat, non in consensu quoconque multorum membrorum consistere veritatem: id quod magis elucescat, quo diligentius quis tot conciliorum conclusa vnanimi

consensu' prolata, veritati nihilominus cælesti aduersa, inspexerit. Ps. XXCIII. 6. seqq. Nam consilium sc. malum inierunt לְבַ יְהוָה animis paribus, contra te fœdus pepigerunt tentoria Edomæorum. &c. Act. XXIII. 12. 20. VII. 57. XVIII. 12. XIX. 29. Vide etiam ad hanc materiam Anastasiū Freylinghausen in epistolas p. 1204. seqq. Hæc cæteraque ſacerdarum litterarum loca imaginem ſatis claram huius ὁμοθυμίας nocentissimæ exhibent. Nos autem neque hanc, neque illam aliter, niſi quatenus τὴν ὁμοθυμίαν fidelium veræ maiorem adfundere lucem potuerit, attigimus.

## §. VIII.

Nos enim fidelium, & quidem vere talium intellegam volumus ὁμοθυμίαν: fidelium, inquam, quorum *fides existit in vera paenitentia*, hoc est, concipitur in terroribus conscientiae, quæ ſentit iram Dei aduersus noſtra peccata, & quærerit remiſionem peccatorum & liberari a peccato, inque talibus terroribus & aliis afflictionibus crescit & consumatur, neque exiftere potest in his, qui ſecundum carnem vivunt, qui delectantur cupiditatibus ſuis Apol. A. C. pag. 86. Fidelium, qui participes facti ſunt spiritus Christi, qui corda eorum renouat, ſanctificat & gubernat. p. 145. Neque enim nos intelligere quis existimet ὁμοθυμίαν ſeu unanimitatem externalm, illorum videlicet, qui tantum ſunt membra ecclesiæ ſecundum externalm ſocietatem signorum ecclesiæ, hoc est, verbi professionis & sacramentorum, quæ communia habent cum vere credentibus p. 144. lin. 22. quippe in illis, qui fidem ianum historicam habent, Christus nihil agit, ac propterea neque membra eius ſunt, neque capaces, quam diu pertinaciter refiſtunt, gratiæ diuinæ & ὁμοθυμίας ſpiritualis. Loquimur de interna ſpiritus unitate fidelium, qui ad normam verbi reuelati de ſalute noſtra per veram fidem in Christum omnium donorum cæſtium participes facti ſunt, in primis ſinceræ commiſerationis & caritatis mutuæ. Ex hac cæteræ, quæ huic ſpectant, virtut-

virtutes sponte fluunt: scilicet mutua infirmorum tolerantia, qua vnum alterius infirmitates, vt qui nondum ad eandem potentiae Christi mensuram cum ipso peruerterit, non tolerare tantum, sed easdam lenitate sua subleuare & corrigere studet; (vide Rom. XIV. 1. XV. 1. 1 Cor. IX. 22. Gal. VI. 1. 14. seq. Col. III. 13. 1 Thess. V. 14.) mutuae preces, deprecationes, interpellationes, mutuae gratiarum actiones & laudes pro tot tantisque a DEO acceptis beneficiis, Rom. XV. 6. mutuum adiutorium in omnibus afflictionibus & miseriis; mutuum desiderium proinouendi gloriam Domini, lucrandi & liberandi animas hominum a potestate tenebrarum atque ad Christum adducendi; denique vt mutuo querant τὰ τὸν Ἰησοῦν χειρά, posthabitis omnibus iis, quae in his terris sunt, ne scil. animo iisdem toti inhærent, atque implicitentur τοῖς τὸν κόσμου τούτοις σοιοῖς καὶ πείραγμασι. Certe in his cæterisque plurimis virtutibus, quas omnes recensere non permittit, temporis angustia, ὄμοδυμα fidelium consistit, quidue isthac fidelium vnanimitas denotet, & in quo consistat, hinc satis lectori constare arbitror. Loca sequentia etiam quoad synonymias euoluenda sunt: 2 Paral. XXX. 12. Psal. CXXX. 1. Esa. V. 47. 58. Ier. XXXII. 39. Zephan. III. 9. Judith. IV. 9. Sap. X. 20. Act. I. 1. 14. 21. II. 42. 46. IV. 12. 24. V. 12. 20. 32. 39. 42. XV. II. 25. Rom. XV. 6. 18. XII. 14. 16. 1 Cor. I. 9. 10. 2 Cor. XIII. 5. 8. II. 13. Ephes. IV. 3. 5. II. 14. Phil. II. 1. 2. 5. III. 15. 16. 1 Petr. III. 8. 15. 16.  
 §. IX.

Percepta itaque ὄμοδυμα fidelium denominatione, fundamentum atque originem, siue causam efficientem eiusdem diligenter ex scripturis & secundum scripturas indagare, officii nostri erit. Ut vero omnis donatio bona, & omne integrum donum est superne descendens a patre luminum: Iac. I. 17. sic etiam vere in Christum credentium diuinum hoc & excellentissimum donum, vnanimitas, concordia & consensio, a DEO T. O. M. tanquam fonte omni-

um bonorum, effluit. Hic vnicē hanc in animis ipsi obedientibus, per spiritum suum diuinum, mediante verbo & sacramentis, operari potest. At si paullo penitus hanc rem introspicere velimus, recurrendum fane nobis erit ad considerationem status illius, in quo Adamus ante lapsum fuit. Artissimam & integerrimam Deum inter & Adamum ante lapsum intercessisse vniōnem, ex posteriori ignorare non possumus; ita, vt omnia cogitata, dicta & facta vnicē in creatorem suum direxerit, vt quicquid Deus ab ipso fieri vellet, id ipsum quoque ratum haberet, contra quicquid Deus nollet fieri, id ipsi quoque displiceret: verbo, ipsi mens cum Deo vna erat i Cor. VI, 17. O beatissimam & felicissimam Deum inter & homines harmoniam! Et in hac beatitudine Adamus si perseuerasset: sine dubio omnes eius posteri pari ratione ac ipse cum Deo vnitati mansissent, & inter se ipsi etiam simplicem concordiam colentes, iucundissimam vitam egissent. At eheu! aliter se res post lapsum habet. Amissa enim per peccatum hac nostra cum Deo beatissima vniōne, amissa etiam inter homines concordia; nascimur omnes cum malo originis, quod semen omnis discordiæ, dissensionis, tantarumque monstrosarum opinionum, tot sectarum, tot contentionum & cupiditatum est. Omnes vt oues erramus, quisque in *viam suam* nos conuertimus, eamque rectam esse existimamus Esa. LIII, 6. In hac autem summa cum effemus miseria, Deus nostri misertus est, filiumque suum vnigenitum seruatorem nostrum Iesum Christum in hunc mundum exire iussit; vt merito suo cruento nobis viam nouam acquireret & aperiret, qua nobis liceat per veram in Christum fidem cum Deo in communionem redire, & hinc porro mutuam etiam caritatem, iucundissimamque fidelium *μοθύμιαν* spiritualem colere. Hic ipse est, qui omnium optime nos docuit originem ac fontem omnis *μοθύμιας* spiritualis Io. XVII. Ita enim ille versiculo 20 & sequen-

sequentibus, non tantum, inquit, pro istis rogo, sed & pro iis, qui per sermonem eorum credituri sunt in me, ut omnes VNVM sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis VNVM sint, cetera: vbi vocabulo *et* certe nihil aliud, nisi spiritus unitatem inter fideles, Christus designare voluit. Vid. etiam v. 22, 23. Fundamentum itaque primum τῆς ὁμοθυμίας fidelium est ineffabilis ac *essentialis* illa Deum inter & Christum unio; propterea vero Christus homo nasci voluit, ut nos mediante carne & spiritu in unionem cum Deo perduceret, 2 Pet. I, 4. Io. VI, 56. XIV, 23. Vid. Abb. Breithaupti Thes. Cred. p. 169. qu. 7. Ex hac autem nostri cum Deo unione quid aliud fluere potest, nisi beatissima animorum fidelium consensio & concordia. Prout enim in Christo unum sentiunt, volunt, desiderant: ita etiam in unicem unum sentiunt, nulloque modo in iis, quae ad regnum Christi spectant, tantum inter se dissentient, ut vinculum caritatis mutuae dissolui queat.

## §. X.

Hanc animorum in Christum vere credentium οὐοθυμίαν spiritualem comitantur *usus* & *fructus* in ecclesia Christi amplissimi, ne dicam infiniti; si hæc nimirum radices in animis hominum egerit profundas. Antequam vero ad hanc beatitudinem quis perueniat, multum, multum, in quam, laboris, multum precum adsiduarum, multum certaminis, multum sui ipsius examinis, multum vigiliarum spiritualium, multum denique patientie & tolerantie requiritur. Non tibi, vt cum proverbio loquar, *per ventos affa columba venit*, quemadmodum multi securi somniant. Omnes autem οὐοθυμίας fidelium usus ordine enumerare, ratio instituti nostri non fert: præcipuos tantum exhibere animus fuit, ea spe, fore, vt si lectores hosce probe considerauerint, aditus ipsis ad cæteros quoque patet.

## §. XI.

Sed ut in viam redeamus, notum est illud Sallustii,

*Concordia res paruae crescunt: quo symbolo plus quam una res publica, plus quam viuis princeps vtitur. Verissima etiam haec esse, usus ipse, nos edocere potest. Multo magis se res ita habet in regno gratiae. Nonne ipse seruator noster idem confirmat Matth. XIII, 31. 52. Simile est, inquit, regnum cœlorum grano sinapis, quod acceptum quispiam serit in agro suo: quod minimum quidem est omnium, quem autem excreuerit, maximum est olerum, & sit arbor, adeo, ut veniant volucres cœli, & nidulentur in ramis ipsis.*

*Conf. Luc. XIII, 19. 26. 27. 34. 35. Marc. IV, 31. Tale autem incrementum verbum evangelii sumfisse in concordia & unitate spiritus Apostolorum, ministrorumque, immo omnium fidelium, ut alia loca taceam, liquido patet ex Act. VI, 7. Nihil, inquis, hic exstat, de ὁμοθυμίᾳ. R. omnino, etsi non in hoc capite, tamen in prioribus luculentissima de concordia spirituali inuenies loca. Cap. IV, 32. τὸν δὲ πλάθους τῶν τιμενούσιν οὐκ ηὐαρδία καὶ ηὐψυχία. Ecce frumentum ὁμοθυμίας vberimum! Et, quæcio, quo potest modo verbum euangelii cursum felicem adsequi, cum inter præcones eius discordiae, dissidia & contentiones aluntur? Ego sane id perspicere nescio. Luc. XI, 23. Christus ait: *Qui non est MECVM, aduersum me est, & qui non congregat MECVM, dispergit.* Vbi autem doctrina euangelii viget & floret, ibi adest omnis diuinæ benedictionis adfluentia, omnia feliciter, & bono cum successu geruntur.*

### §. XII.

Coniuncti spiritu diuino precibus suis, non pro se ipsis tantum, verum etiam pro aliis hominibus, a patre cœlesti magnam impetrare possunt benedictionem. Sic enim Christus Matth. XVIII, 19. 20. ait: *Vbi sunt duo, vel tres coacti σὺν φώνως in nomine meo; illuc sum in medio eorum.* Hoc etiam, qui vnanimitatem colunt, gaudent commodo, quod insultibus hostium spiritualium, eorumque strategemati-

matibus eo fortius resistere possunt, quo artius vinculo amoris inter se conglutinati sunt, secundum illud: vis unita fortior. vid. B. Io. Arnd. lib. IV. de vero Christianismo cap. XXVI. Qui itaque omnibus *συνθετικα* fidelium selectantur viribus, ii de omni benedictione cælesti certi esse possunt.

## §. XIII.

In statu sic dicto ecclesiastico hanc Christianorum virtutem amplissimi esse fructus, nemo vir cordatus in contrarium ibit sententiam. Neque in hoc vniuerso magis necessarium quid esse existimamus, quam ut ecclesie ministri, siue sint doctores, siue inferioris gradus, atque ii etiam, qui in scholis iuuentuti præfunt, cuiuscunque tandem ordinis & professionis sint, inter se non verbis tantum, sed re consentiant, & eodem animo alii in alios affecti sint. Rom. XV, 6. 16. 18. 30. 33. Id quod B. Io. Gerhardus in Schola Pietatis probe agnouit, p. 833. n. 7. Ohne Einigkeit können die Lehrer den geistlichen Bau nicht vollführen/ sondern es geht ihnen wie denen/ so den Thurn zu Babel bauen wollten. Hac enim ratione euenturū certo nobis compromittere possumus, vt ea, quæ & circa annunciationem doctrinæ euangelii, & circa erudiendam iuuentutem scholasticam desiderantur, in meliorem felicioremque statum reducantur omnia, vid. libell. B. Speneri Klagen über das verdorbene Christenthum p. 180. Probe etiam tum agnoscerent ii, qui oeconomi mysteriorum diuinorum audiunt, maiorem curam, diligentiam & ardorem requiri in rite administrando hoc sancto officio, prospiciendoque saluti æternæ hominum, quam vulgo credi solet. Quin etiam ex semine illo verbi diuini viuente, in animos hominum sparso, vberiores propullularent fructus; in rebus perplexis casibusque dubiis (qui ministris ecclesiae haud raro euenire solent) unus alterius consilium, opem & auxilium amice & *αρχεως* expetere posset: quod alias fieri non solet, nisi unitati spiritus

ritus adsidue studuerint. Certe huic *o<sup>mo</sup>du<sup>m</sup>ia* & concordiæ totis viribus incumbere debent omnes ii, qui circa res sacras occupati sunt; eaque ut in dies augeatur, Deum T. O. M. precibus ardentissimis implorare necesse habent.

## §. XIV.

Idem quoque dicendum in *statu politico*, de omnibus, qui imperii summam tenent, atque de omnibus reipublicæ membris. Magna hos mansura est diuini numinis benedictio, magnus omnis boni cumulus; si non naturalis tantum, vel mere ciuilis, sed spiritualis etiam, quam spiritus Christi in nobis operatur, vnitatis, & conscientiarum tranquillitatis vere erunt amantes. Eadem concordiæ hujus spiritualis necessitas ipsis, ac ministris verbi diuini incumbit, si vera ecclesiæ Christi membra exsistere volunt: O quam felices essent, si hanc non fucatam vnitatem spiritus sectarentur! quanta ab ipsis in vniuersum orbem Christianum emanaret felicitas! Omnes ipsorum conatus, consilia & actiones numen supremum fortunaret; pacem ipsis exoptatissimam, requiem animi dulcisimam largiretur. Hoc fulcrum aduersus omnes insultus hostium ipsis esset firmissimum; hoc medium propagandæ veræ & sinceræ pietatis, & omnibus locis promouendæ, optimum ac certissimum. Sic opus domini nostri Iesu Christi in dies augmentum maius caperet; iustitia & fidelitas in terris habitarent, iniustitia contra & malitia procul abessent. Hoc quamquam magis optandum, quam sperandum: certissime tamen est credendum, si etiam duo triaue modo societatis vel collegii cuiusdam membra inueniantur, quæ vni viribus, uno animo, gloriam diuinam proximique commoda querere non desistant; ipsis tamen nequaquam amplissimam DEI benedictionem defuturam esse.

## §. XV.

In *statu* denique *oeconomico* singularem concordiæ spiritualis deprehendimus fructum, secundum illud Ecclesiastici

siaſtici cap. XX, i. 2. Si eandem hoc in ſtatu viuentes viri-  
bus diuinis excoluerint. Inprimis ſi coniugum animi hac  
tam neceſſaria virtute ornati fuerint: o quæ & quanta pa-  
ter ille benigniſtimus cæleſtis in eos effunderet bona! Tum  
deum veriſima forent verba illa, quæ de coniugio bono  
& felici dici ſolent; illud nimirum *inſtar eſſe vite angeli-  
cæ*. Sane adſenſum huic effato dare non recuſarein, vitam  
coniugum fore beatam; ſi amori ipsorum coniugali, eique  
naturali, ſpiritualis, vnanimitati naturali, ſanctior & cæleſ-  
ti ſpiritu effecta, accedat concordia. Hac abſente ange-  
licam ipsos vitam ducere poſſe, vix crediderim. Nam na-  
turalis ille amor, naturalis illa concordia coniugum, quam  
manca & inconfiſta ſit, & quam cito, vnicā ſaltim calamiti-  
tate caſuque aduerso interueniente, refrigescere ſoleat, ex-  
perientia quotidiana abunde teſtatur. Minime certe ma-  
trimonium a Deo ideo inſtitutum eſt, vt libidini explenda  
inſeruiat; ſed finis eiusdem genuinus hic eſt; vt coniuges  
vniſ animis, vniſ viribus, vna intentione, Deo cultum in  
ſpiritu & veritate debitum präſtent, iſpum laudibus ex-  
tollant, & auxilium eius precibus deuotis implorent, quo  
liberos ſuos in timore Domini educare, ſeruis bono ex-  
emplo präire, totamque rem domesticam ſapienter gu-  
bernare queant.

## §. XVI.

Ex hiſ omnibus adparet, quantum utilitatis in omnes  
ecclesiæ ſocietates ex *μοθυπία* fidelium effluat. Antequam  
vero uiterius progrediamur, vnicum hoc addendum erit,  
nimirum, quod diuersa ecclesiæ membra, diuersaque ipſo-  
rum officia nihil impediāt, quo minus concordiam ſpiri-  
tualem exercere poſſint. Nam non potest non *μοθυπίας*  
ſpiritualis particeps eſſe, quicunque demum verum eccle-  
ſiæ membrum eſſe cœpit, ſiue iſ princeps, ſiue ſubditus,  
ſiue doctor, ſiue auditor fuerit.

## C

## §. XVII.

Prout vero ὁμοθυμία fidelium tam iucunda, amabilis, Deo grata & accepta, immo in ecclesia Christi tam necessaria res est: (secundum illud Augustini lib. I. de Ciuit. Dei cap. 22. *quod in cantu est harmonia, id in ecclesia est concordia;* qui etiam præmia amantibus illam largissima offert,) ita defectus huius innumerorum malorum caussa existit. Etenim vbi exsulat vera spiritus in humilitate concordia: ibi pax turbetur, caritatis vinculum disrumpatur, & in eius locum discordiæ, factiones, Φιλαρχία, lites, odia & inuidiæ succedant, necesse est. vid. Iac. III, 1. 16. Certe quocunque in coetu, quibuscunque in locis, quocunque in statu, siue ecclesiastico, siue politico, siue oeconomico, spiritus unitas extirpata fuerit; non potest non imperium tenere discordia: hac regnante omnia in statum confusissimum ruunt, omne bonum impeditur, unus huc, alter aliorum tendit, quilibet id agit, quod sibi ipsi optimum esse videtur. Id quod sole meridiano clarissimum est, nec in dubium a quoquam facile vocabitur, nisi qui omnis veritatis sit expers. Legimus I Cor. III, 3. in ecclesiam Corinthiorum irrepsisse inuidiam, lites & dissidia: unde, quæso, haec oriebantur, nisi inde, quod dicebant, v. 4. 5 - II. *Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephae, at ego Christi.* Sic a vera simplicitate, a vera unitate spiritus per superbiam & fastum, quo Græci turgebant, auerti se patiebant, neque ita, uti par erat, concordiam illam Spiritus, cuius in sanctissimam communionem vera ad Christum conuersione peruererant, custodiebant.

Quia vero tot tantaque ex studio veræ unanimitatis bona, ex neglectu autem contemtuque illius innumera, immo omnia in vniuersam Christi ecclesiam deriuantur mala: quis fidelium negaret, omnibus viribus eo enitendum esse, ut unitas spiritus, pax & concordia, cum Deo  
ante

ante omnia, siveque etiam cum hominibus ineatur, confirmetur, conferuetur. Qui vero ea carent, quæ maxima sicut dictorum Christianorum pars est; illi opus habent vera ad Deum conuersione, ut ita vera & viuenda Christi capitibus membra fiant. Tum demum ad ipsos quoque pertinebunt, & Christi & Apostolorum, multorumque sanctorum virorum monita, quibus tam sero vere fidelibus saluberri-  
mam illam spiritus uitatem inculcavere.

## §. XIX.

Nihil benignissimum patrem cælestem a misericordia mortalibus post lapsum expetere, nec eos ad aliquid præstandum adhortari, nisi quod ipsis ante lapsum clementer largitus fuerat, e sacrificis litteris edociti sumus. Iam vero Adamum imagine etiam concordiae & uanimitatis spiritu-  
alis perfectissimæ donauerat: hanc ergo, tamquam iustissi-  
mum numen, iure suo ab omnibus reposcere potest. Quia  
de re in primis Noui Instrumenti loca exstant clarissima.  
Abrahamus egregium conseruandæ uirtutis nobis perhibet  
exemplum, Gen. XIII. 8. Conf. Ps. CXXXIII. 1. Eccles. XXV.  
2. Matth. V. 9. 17. 18. 19. seq. Marc. IX. 33. -- 40. 50. Apud  
Ioannem c. XVII. abunde testatur reparator, seruator &  
sacerdos noster summus, cordi ipsi fuisse, ut ueritas spiri-  
tus inter discipulos suos, omnesque, qui credituri essent  
in ipsum, maneat, quæ recuperanda erat tanto sanguinis  
sui pretio.

## §. XX.

Miseri mortales, quod mirandum sane est, in ineunda  
cum aliis societate, in conciliandis sibi collegiis, ciuitati-  
bus, populis, regibus, nulli operæ atque curæ, nullique  
sumtui parcunt; dummodo terrenum aliquod præmium,  
opes, honores, imperium, gloriam & nominis famam ad-  
sequantur. Quia vero ratione vera & spiritualis inter ipsos  
animorum coniunctio possit instaurari; etsi hæc ad pro-  
mouendam gloriam Dei, & ad nostram aliorumque multo-

rum salutem pertineat: ne curare eos quidem, &c., vt ita dicam, eius caussa ne pedem loco mouere videoas.

## §. XXI.

Sed quæ abunde produximus scripturæ loca, manifeste nos docent, quam serio, quanta cura id egerint Apostoli, vt vnanimitas fidelium, solida semel animis verbo Dei implantata, etiam confirmetur, & ad finem usque conservetur. Scite admodum de hac materia B. Io. Gerhardus in Schol. Piet. p. 833 num. 7. scribit, cuius verba haec sunt: Wer nicht will mit seinem Neben Christen in Einigkeit leben / der kan nicht seyn ein lebendiges Glied am Leibe Christi: wer nicht will in Friede und Einigkeit mit dem Nächsten leben / der kan nimmermehr mit Nutz und Sieg wieder den Teufel kämpfen. Der Teufel achtet wenig / daß man wachet / daß man sich enthält von niedlicher Speise / daß man fastet: (& sic etiam, si cultus Dei externus accuratisime obseruari videatur) er hat viel unter denselben / so sich dessen höchstlich beflissen / berücket / und in sein Netz gezogen. Aber wenn man im Hause des Herrn einmächtiglich wandelt / wenn man durchs Band der Liebe und des Friedens verbunden: dasselbe schreckt ihn / das thut ihm Leid / und davor fürchtet er sich am allermeisten. Idem pag. 830. num. 2. Gott will allein diejenigen für seine liebe Kinder annehmen und erkennen / welche in Friede und Einigkeit bey einander leben. Non possumus non ex Macaria quoque, Asceta illo vere beato, & quoad *διαματατων* spiritualem experientissimo, loca quædam, hanc materiam egregie illustrantia adducere. Sic ille Hom. III. §. I. *Frates*, inquit, *in summa dilectione inuicem conuersari debent. &c.* Cur enim scriptum est, fiat voluntas tua, sicut in celo & in terra? ut quomodo angelii in celis inter se congregiuntur, in VNANIMITATE SVMMA, in pace & dilectione degentes, nec est ullus illuc FASTVS & INVIDIA, sed in dilectione & sinceritate mutuo conuersantur: eodem modo fratres inter se sint. Vid. etiam lib. II. cap. IX. tot.

It.

It. cap. VIII. vid. etiam Speneri Glaubens-Lehre pag. 675. 673.  
Bedenk. 3. th. p. 210. 364. 270. 421. 519. 586. 646. 720. 741.

## §. XXII.

Hæc quum vera esse quemlibet fateri confidam: forte non inepte quis interrogare posset, quænam ergo media darentur, quibus vera fidelium *opusq[ue] u[er]a* custodiri & conseruari queat? Sane vnicum hoc est necessarium. Ut vero quamlibet huius dissertationis partem paucis sum complexus; ita etiam de mediis vnanimitatem fidelium conseruantibus breuiter agere, ratio nostri instituti suadet.

## §. XXIII.

Cum Lutero nostro primo loco merito sacras ponimus litteras. Ita enim ille Tom. VI. Ien. Germ. fol. 192. ait: Siehe das ist die Einigkeit der Christen / aber dazu kan man auf keine andere Weise kommen / denn dadurch / daß uns Gott (wie Er gesagt) in seinem Wort erhalte / das ist / so wir bleiben in dem Wort das wir von Christo empfangen haben. Hisce quippe solis corruptissimam animæ nostræ, omniumque eius virium conditionem intime cognoscere dicimus, harum iugi meditatione omnes sancti & fideles opus habent, ut cognitione sui summæque ipsorum miseriæ, discant salutem non in alio quoquam, nisi mediatore & seruatore nostro Iesu Christo per veram pœnitentiam & fidem querendam esse. Id si fiet, quin le ipsos pessimamque philautiam, qua, quicquid alias in se boni, contaminatur, abnegent, humilitatique minime fucatae assidue studeant, nullum est dubium. O quæ suspiria ardentia ex animis eorum emanabunt, vt in dies cum Christo per veram fidem sub paupertatis domesticæ mutuo sensu, artius vniantur, proximus ab ipsis ardenter ametur, omnisque superbia, præcipitantia, arrogantia & fastus magis magisque in iis opprimatur, mortificetur.

## §. XXIV.

Optimum hinc conseruandæ vnitatis remedium est:

ut quis eos, qui fidei infirmæ sunt, multisque adhuc næuis laborant, non statim acerbitate quadam, verbisque a-speris adgrediatur, sed eosdem magna & patientia & leni-tate toleret ac foueat; haud immemor, se quoque variis infirmitatibus laborare, & ob id ipsum diuina & misericor-dia & longanimitate perpetuo indigere. Rom. XIV. i. Gal. VI. 1. 2. 3. 4. 5. 15. 16. 17. Quoad etiam fieri potest, pax, opti-ma rerum, quas homini nouisse datum est, quæque ad con-cordiam alendam magnopere conductus, cum omnibus ser-uanda. Rom. XII. 18. Nec ob vocabula quædam, minus ad rerum fundamenta pertinentia, ob ritus item circumstan-tiasue externas, rixæ statim & contentiones incipiendæ sunt. Vide de his, qui amant rixas, dissert. de *Beatitudi-ne paciforum* anno 1698. Lipsiæ, Auctore Dn. Imman. Hor-nio, editam p. 64. 65, in fine, vbi dicitur: *Atqui tales quidem Haberechtios, qui abominando hoc Φιλαυτίας ac Φιλονικίας vitio laborant plures inuenias. Vnde tot replicas, dupli-cas, triplicas, quasplicas non! conspicere nobis hinc inde li-cet.* Ethoc est quod anima mea, quid? quod anima Dei, qui est Deus pacis vœ illud horrendum eiusmodi pacis osoribus denunciat. Ies. V. 21.

## §. XXV.

Nequaquam vero statuere me quis existimet, parui faciendas esse dictiones ac loquendi formulas, sacris litteris consentaneas: id certe nec unquam in mentem venit, ut potius cum B. Spenero in Exegesi epistolæ i Cor. I. v. 10. qui est libellus in 8. pag. 277. adserat: *Regnum qui-dem Dei non consistit in dicendo, sive in verbis, sed in factis, sive virtute: attamen discordia in dictiōibus & loquendi formulis turbat ecclesiam & logomachias excitat. Studen-dum itaque est non sententiae saltim, sed & verborum unitati. Tutiſſimum autem est reuinere NB. plerumque verba scripturæ, aut ab iis, quam minime fieri potest, discedere. Vnanimes enim esse debent fideles, & fide seu doctrina & vita.*

## §. XXVI.

## §. XXVI.

His adminiculis conseruandæ concordiæ spiritualis  
hoc quoque addendum est: vt omni studio sibi caueant fi-  
deles, ne vnuſ alteri dōna a Deo ipsi concessā inuidēat;  
(quod vitium, vna cum arrogantia, vt omnibus, ita in pri-  
mis eruditis proprium esse solet) sed contentus sit vnuſ-  
quisque ea gratiæ mensura, qua ipfum pater benignissimus  
donare voluit: ipsorumque concordia & vnanimitas sit se-  
cundum Iesum Christum, vt in fide solum respiciant ver-  
bum seruatoris sui, in vita autem caritatem; vt alter alte-  
rius commoda corporalia & spiritualia quærat, & hoc pro  
regula concordiæ habeat. Audiamus B. Gerhardum in  
Schol. Piet. p. 843. de inuidia ita differentem: Es ist ja der  
Neid ein recht teufisch Laster; denn wie der Teufel Gottes Wil-  
len und Ordnung zuwider ist: also widerstrebet auch ein nei-  
discher göttlicher Ordnung und Ausheilung / NB. denn er miß-  
gönnet seinem Nächsten / was ihm Gott der Herr gegön-  
net und gegeben.

## §. XXVII.

Tandem vnanimitas fidelium in tuto collocaretur, nec  
detrimentum acciperet, si ii, qui in dignitate aliqua emi-  
nenti constituti sunt, omnimode sibi prospicerent, ne li-  
mites finesque externæ vocationis & officii egrediantur:  
id quod sane magni momenti est. *Vnusquisque in quo vo-  
catus est, fratres, in hoc maneat apud Deum.* 1 Cor. VII, 24.  
Summis imperantibus, iisque, qui in statu politico officio  
quodam funguntur, caute ambulandum est circa sacra, eas-  
que res, quæ vel ad ministerium ecclesiæ publicum, vel to-  
tam ecclesiam spectant, ne imperium & potestatem suam  
etiam in his, ultra quam decet, exercere, conscientiisque  
& subditorum reliquorum & ministrorum ecclesiæ etiam,  
dominari videantur. Vide Pufendorfi egregium libellum  
*de Habitū religionis Christi ad vitam ciu. in præfat.* Mini-  
stri vero ecclesiæ omnibus modis sibi cauere debent a do-  
minatu

minatu in conscientias auditorum suorum. Μὴ ὡς κατακυ-  
γίευοντες τῶν κλήσαν, ἀλλὰ τύποι γινόμενοι τοῦ ποιμένου i Pet.  
V, 3. Vid. dissert. Theol. Dn. Proi. Langii *Idea boni pastoris*:  
in qua ex professo hunc textum Petrinum explicat. Mini-  
stri ecclesiæ omnem etiam pompam mundanam, in qua-  
cunque re, ipsis & officio ipsorum nocentissimam, abhor-  
reant. Vide libellum *Reinigung der Kinder Levi*.

## §. XXVIII.

Errores circa hanc materiam occurrentes, saltim præ-  
cipuos, quin detegamus, omittere nolumus. Palmam præ-  
reliquis facile hicce ferunt ii, quorum hisce temporibus  
passim aliquis est numerus, qui artissime tenent, & ut cer-  
tissimum sibi persuadent, exercitium veri Christianismi, &  
sic etiam concordiæ & vnanimitatis spiritualis, rite institui  
& excoli haud posse, nisi coetus quis separatus formetur eo-  
rum, quibus pie & sancte viuendi sit propositum: nisique  
hi ad euitandum omne commercium hominum malorum,  
ab omni communione ecclesiæ externa, cultuque diuino  
externo, qui consistit in administratione sacramentorum,  
& annunciatione publica verbi euangelii, separentur ac se-  
gregentur. Hac enim ratione, cum in coetu ipsorum non  
nisi fideles reperiantur, cultui diuino, exercendæ caritati  
& concordiæ, omnibusque virtutibus Christianis ipsos va-  
care melius posse autumant, quam si in communione ec-  
clesiæ externa, in qua tot sint impii, vixerint. Sed esse id  
apud plerosque coniunctum cum impatientia, multaque  
ecclesiæ Christi incommoda inferre v. g. quod aliqui mul-  
tum *rancoris & amarisudinis* ostendunt aduersus ipsos fi-  
deles, ab his ausibus dissentientes, a quibus *non minus* se-  
se separant quam ab aliis, B. D. Phil. Iac. Spenerus in libel-  
lo *Klagen über das verdorbene Christenthum* / & in tomo  
præcipue ultimo der Theol. *Bedenken* / iam dudum per-  
quam egregie demonstravit; ostensa simul via, qua consci-  
entiis eiusmodi erroneis sit subueniendum & medendum  
**Conf.**

Conf. etiam Dni Prof. Langii Rechte Mittelstrasse T. I. P. I. in  
qua prolixe hanc materiam deduxit.

§. XXIX.

Error esset, si quis vellet statuere, vnanimitatem spiritus certo eoque particulari cœtu, certis locis, certis regionibus, certis doctrinæ formulis, certis ritibus & ceremoniis esse præcile circumscriptam; quippe quo usque ecclesia Christi patet, iam vero hæc per vniuersum terrarum orbem diffusa est, eo vsque etiam cæteris paribus se extendit spiritus unitas. Fideles enim, qui de euangelio consentiunt & habent eundem Christum, eundem spiritum sanctum & eadem sacramenta, sive habeant easdem traditiones humanas sive dissimiles sparsi sunt per totum orbem LL SS p. 146.

§. XXX.

Errorem etiam committit, si quis dicat: vnanimitatem fidelium apud illos quoque locum habere, qui qualicunque fide crederent, Christum esse filium DEI, nobisque exemplaritatem pie & sancte instituendæ dedisse, quod si quis imitaretur, vunionis sanctorum membrum existere posse, reiecto licet sanctissimo Christi sanguine, seu lytro per quod solum conscientia nostra ab ira diuina liberari, & in gratiam cum Deo redire possit. Item, si quis aliquas saltim doctrinæ Christianæ partes, non vero in toto complexu suo, totamque adeo oeconomiam salutis diuinam amplexus fuerit: eum concordia sic etiam membrum esse, minime concedendum. Momenta quædam ḥętorpiæ circa articulum de iustificatione reperias in Dn. Prælidis mei diss. de harmonia fidei §. 20. 22. 34. 45. 50. 51.

§. XXXI.

In errore etiam haud leui versatur, qui pietati tantum & caritati Christianæ studendum esse putat, ut, qui concordia fidelium amantes esse cupiant, quomodounque etiam se res habeat cum credendis & doctrina Christiana. Ita non minus

fallitur is, qui contra concordiæ fidelium conseruandæ sufficiere existimat doctrinæ assensum formularium, quamvis a morum & vitæ sanctitate seiunctum. Vtrumque falsum est; unum enim ab altero separari nequit. Apostolus Paulus i Cor. I, 10. dicit, quod Christianos veros in ecclesia *vnum sensum, vnamque fidem de DEO & eius doctrina, vnamque sententiam in mutua caritate oporteat habere.*

## §. XXXII.

Error denique crassissimus est, quando dicitur de fidelibus Dei seruis, eos turbatores concordiæ & unitatis spiritus in ecclesia existere, cum vulnera illius detegunt, illicisque mederi omni studio allaborant. Nam sicut Iesaias, Ieremias & reliqui prophetæ vulnera domus Israelis ostendentes, itemque seruator noster & apostoli, non fuere turbatores: ita certe neque turbatores ecclesiæ, & in ea unitate spiritualis fidelium, nominari debent, qui vestigiis eorum fideliter insistunt. Quam in rem digna lectu sunt Electoris Saxonie Ioannis Friderici verba in Seckendorfii historia reform. L. 3. f. 564, a, & Ioachimi II. Elect. Brandenb. ibidem f. 235.

## §. XXXIII.

Sed hic finem dissertationi imponere filumque abrumperem cogit improuisa temporis angustiæ, aliarumque circumstantiarum complurium ratio, quibus, quo minus, quam quidem optaramus, hanc utilem materiam pertractare potuerimus, impedimur. Cæterum omni cura & diligentia praecauere voluimus, ne quid in elaboranda hacce dissertatione a nobis dictum sit, quod vel sacræ litteris, vel secundum hasce analogiæ fidei, aut etiam libris nostris symbolicis sit aduersum, vel quod a veritate & caritate recedat. Quod si vero benevolus lector animaduerterit aliquid in hacce dissertatione, quod correctione dignum sit: id ut benebole & in caritate spiritusque lenitate nobiscum

com-

communicet, humanissime rogamus, Iubentissime in o-  
mne in veritatem nos duci passuris.

Te vero clementissime Pater cælestis, Pater domini  
nostræ & servatoris Iesu Christi, te, inquam, ardentissimis  
imploramus precibus; vt ecclesiam tuam in tot partes, tot-  
que opinionum sectas diuulsam, sub vnum caput Christum  
dominum nostrum reducere, eamque fouere, & ad finem  
vsque mundi clementer conseruare digneris. Tibi, o æ-  
terne Deus, cuncta ecclesiæ vulnera sananda commenda-  
mus per & propter filium tuum dilectum Iesum Christum,  
cui sit tecum, vna cum spiritu sancto, pro concessis no-  
bis viribus laus, honor & gloria in omnia sæcula!

Amen.

---

## AD

### DISSERTATIONIS PRAESENTIS AVCTOREM



Btulisti mihi, *Amice dilecte*, paucis abhinc  
diebus meletema, proprio marte a te con-  
scriptum; imo etiam a te ipso electum; cui  
publice excutiendo moderamen meum more  
academico accommodarem. Annui quidem  
ego, sed hac præcipue de causa, quod ad-  
uerterem, te ex amore in patriam, eo iam reuocatum a Pa-  
tronis, consignandi haec cepisse consilium, sicque ex abun-  
dantia cordis loqui os tuum. Dum autem reddo tibi dis-  
sertationem tuam paucis interpunktis vel adscriptis, vul-  
nus adhuc sentio in animo meo ex inscriptione *fidelium*.  
Quid enim mirum, exspirasse caritatem inter homines,  
quando diuina euanuit fides? Abieciimus suave vinculum,  
quod cum Deo erat Optimo conditore; nulla ergo firma  
funt vincula inter homines, quamdiu non fideliter redimus  
ad Deum. Ipsa tamen mala, publica & priuata, eo nos  
compellunt ad resipiscendum, modo ne nouo perfidiæ ge-  
nere

nere palliatis, dissimulatisue miseris nostris, ex malo maximo reddamus adhuc maiora. Singuli, loco quisque suo, agnoscant culpam suam prius, quam in vniuersos publica redudent felicitas, ne ideas concipiamus Platoniciſ miferiores, nec Deum ad maiorem prouocemus iram detestanda hypocrisi. Recordaris, *Amice*, epistole propempticæ, quam pariter aliquot abhinc annis subiunxi dissertationi, *de Spiritu moderationis a commilitone*, nunc ecclesiæ ministro, conscriptæ; argumento videlicet & themate, quod aliquam cum tuo affinitatem habet. Ante omnia autem recorderis, assiduis instandum esse precibus, vt Deo dante & auxiliante ipse præstes fideliter in omnibus casibus, qui innumeris sunt, quod pro viribus tuis nunc proponis in cathedra. Nostri ac didicisti, *fideles* esse eos, qui proprietantur a Satana. Non nescis ex Actis apostolorum, quis παροξυσμὸς accidere possit inter ipsos fideles, donec nebulae retrocedant omniaque reconualescant. De cetero gratulor tibi de patria in eandem Christi disciplinam propensa. Wade ergo, fretus tutela & medela cælesti, præcinctus lumbos humilitate ac sobrietate mentis: locoque epiphonematis primas, ecce, lineas habeto socias itineris ex insigni epistola, quam Melanchthon olim ad ecclesiæ Cygnensis pastores exarauit. *Magna*, inquit, leuatio est animorum in omnibus doloribus, publicis & priuatis, videre ecclesiam oppidi sui tranquillam, quia præcipue acquiescunt animi in invocatione Dei, quæ, cum discordia in conspectu sunt, valde turbatur & impeditur. Cumque hoc tempore multi propter calamitates magno in mærore sint, maxime curandum, vt sua (cuique) ecclesia velut portus sit, in quam masti confugientes invocatione Dei erigantur.

A. 1712. d. 15. Iul.

PRAESES.